

rum varia natura , quod etiam in morsis à Tarantula (araneæ genus est) deprehenditur. Quinid nec à luce nec a coloribus aut pictura , nisi vt hæc ad memoriam revocant ea , propter quæ ad hilaritatem aut tristitiam vel iram , vel commiserationem mouemur. Vnde quosdam reges ferunt iniurias acceptas insisse depingi in aula ne possent obliuisci , at longè plures curatunt , vt potius eorū facta egregia pingerentur continuata per memoriam voluptate , quam dum illa agerent , conceperant : nihilominus , neque color ipse , nec lux aut spectaculum vel imagines possunt adeò mouere animi affectus , vel sonus. Nam duo in vniuersum ex visu ad animi affectus mouendos habentur , tenebrae ad tristitiam & metum , pictura regionum amoenarum ad iucunditatem , sed iram quæ moveant picture alacritatem aut commiserationem , non habemus. Videtur ergo ob hæc sonus ipse magis animæ intimus quam vnum aliud sensile. Quod si odoratus est in appendicibus cerebri , visus in pupilla oculi , gustus in lingua & nervis , verisimile est magis intimum esse auditum , scilicet in cerebro ipso , atque ob id magis ab illo moueri animam. Neque enim in aëre concepto à concitatibus auris , qui nostri pars non est : neque à tympano , cùm superficia fuisse cauitas interior omnis: neque enim inter pupillam & cerebrum pars vna cernitur ad vnum adiunquandum idonea : sed solus sufficit consensus pupillæ cū cerebro ; nam ad nos per spiritus defertur imago , non enim visus esset vnum , nec in uno tempore fieret , sed veluti è secundo speculo & decimo simul , & eodem tempore reflectitur imago , vt à primo ita sensus visus ex pupilla in cerebro & in corde & anima simul relucet. At ergo nō potuit in tympano vel neruo deniore fieri auditus , sed in cerebro ipso , ob quod magis moueret affectus. Sed magis incorporeus est sonus , vt qui instrumentū proprium non efficiat , nisi cum immoderatus fuerit , at omnis color , omnis lux oculum afficit , ac , vt ita dicam , tingit , neque successiones illas ob id adeò minutæ oculus percipere potest vt auris , sed coquinatur , vt ita dicam , priorum obiectorum reliquiis atque imaginibus. Ut in vniuersum constet priorem esse auditus sensum etiam animæ nostræ propiorem quam visum.

Quibus constitutis videndum est , quomodo sonus permute affectus : hoc autem non quia animam , quæ immortalis est & immateriaria , sed quoniam aut corporis eam partem , quæ est animæ instrumentum : id est , spiritum , aut animæ principalem coniunctionem qua corpori annexa est. Ut enim corpus deserit aut impeditur à corporis commercio corpus immortitur : hoc presentiens animus , fiunt illa duo prævia ad mortem timor & tristitia. Ut contra , lætitia non est nisi communicatio animæ corpori , & quatenus communicatur solum de vita cogitat , atque ob id quasi immortalis , qui lætitatur obliuiscitur mortis. Ergo animæ ratio illa erit , quæ vt cognoscit perfecte exhilaratur dulcedine vocum , & hoc sit in

diapason. Ut verò imperfecte diapente , vt imperfectius diatessaron , at cum ex diatessaro & diapente perficitur diapason , accidit ei idem , quod quærenti gemmas in matrice dum inuenit : & ei qui ex tabulis arcam conficit , & pueri cum adolescit , & generaliter ei qui ex imperfectis perfecta colligit : ex quintæ enim & quartæ sensu imperfectarum consoniarum percipit perfectam diapason. Videamus ergo an aliquid sit simile in animæ facultatibus , nec dubium est quin ex sensibus exterioribus atque interioribus fiat intelligentia. Et sensus quidem exteiiores sexquartia constant : est enim illorum imperfecta cognitio : maior longè memorie vnius & rationis reliquarumque facultatum , ex quibus intelligentia oritur. Iam verò habemus exactam similitudinem facultatum animæ humanæ , quam cognoscit. Nunc vterius procedamus & videamus , an sit aliqua etiam coniunctio inter illas , nam similitudo etsi sit vna originis causa , non tamen sola digna est vt à Philosopho numeretur inter causas ordinis & naturalis vinculi. Non est vt tetrachordorum genera ad partes animæ comparantur , cum sint voluntaria divisione , non natura constituta. Sed si quis hoc velit , magis ad rationem proprietatis respiciat , suauitas in chromatico , subtilitas in Enarmonicu , stabilitas in diatonico : Ut Enarmonicum ad mentem verè referri possit , chromaticum ad sensus : diatonicum ad vitam , naturaleaque facultatem. Sed , vt dixi , iam proprius accedamus , concitator sonus , vt Doricus ad alacritatem pertinet , ad pingnam , ad vim animæ irascibilis : Phrygicus ad voluptatem , Lydius ad intelligentiam remissione corporeorum affectuum. Sed non quærere decet aut laborare , vt male inuenta aut distributa aptemus ordini naturæ , sed vt res rebus. Dicimus quatuor esse differentias nobilitorum affectuum animi , scilicet , timoris , spei , iracundiae seu saevitiae commiserationis , lætitiae , tristitiae , impetus ac remissionis. Et videtur musica nec hoc æqualiter monere , sed primam videamus an hi soli affectus sint maximi , quippe deesse videntur amor atque odium. Et mihi dubium non est quin hi potentissimi sint omnium præter metum. Sed metus cum causa , affectus propriæ non est , sed potius scientia quædam. Proprium enim perturbationum est excedere rationem : at metus mortis propriæ aut de filio , non est à ratione alienus , nec excedit metas , modò inanis non sit aut falsus , ob hoc metum excludemus ab hoc negotio : tum maximè ob id quod nulla musica est quæ metum excitet cùm ea , non opus sit in eo , qui sit cum ratione coniunctus. Indicio est quod potius illum excludit abrupta musica , sicut & omnia alia quæ perturbant rationem , veluti solanum & madragora atque cicuta. Amorem igitur & odium non excitat musica , quia amor & odium alicuius sunt amor & odium , musica autem generales solum mouet animi affectus. Et commiseratio , licet sit Didonis aut Phillidis , tamen est generaliter miserentis , Quæramus ergo rursus qui sint affectus generales